

869

P A T R I S T I C I

870

CCL. VII. D. 12.

250 Codex membraneus lat. Sec. partim XII. partim XIII. Folior. 122. f. per duas columnas partim luculente, partim minutiore caractere exaratus, quondam *κτῆμα* V. Cl. *Job. Sambuci* Pannonis Tyrnav. continet: I. *Hieronymi et aliorum ad illum Epistolas* XXXIII. quae in edit. *Vallarsii* T. I. *Opp. Hier.* sunt numero 35. 36. 62. 20. 15. 16. 18. sed turbato ordine. 102. sed non integra. 111. 110. sed non integra. 56. 105. 67. 104. 112. 126. 131. 132. 58. 53. 55. sed divisa in duas. 57. 51. 83. 84. Spuria T. XI. p. 227. item ibid. p. 270. Rursus genuinae 69. 146. 17. 145. 122. Spuria T. XI. p. 87. genuina 129. Omnes miniatis inscriptionibus gaudent, et rarissime lectione ab editis discrepant, ut adeo Codex quoad hanc partem optima notae sit.

II. fol. 107. sequitur recentioris paullo manus *Commentarius in Epistolam Pauli ad Romanos* absque Autoris nomine et qui in C. IX. v. 29. deficiat. Initium Prooemii est: *Causa scribendi hanc epistolam fuit altercatio, quam habebant iudei erga gentiles &c.* Ipsius expositionis: *Paulus. Mores scribentium epistola servat. in hoc quod in principio salutationem ponit. in qua captat benivolentiam auditorum &c.* Inspectis omnibus, quos quidem novi, antiquioribus *Paulinarum Epistolarum* Interpretibus non deprehendi praesentem, qui sobrius est et literae in-

fistit. De aetate conjeceris, si solum ab eo *Augustinum*, idque una alterave solum vice, citari re-putes.

CCLI. VI. g. 16.

Codex chartaceus lat. Sec. 530. XV. Folior. 131. 4. non una manu, commode tamen perscriptus et quondam *Pauli de Slauikouicz*, sequentia censet: I. D. *Hieronymi Epistolas* VIII. quarum *επιγραφας* et initia dabo, additis, quibus in edit. *Vallarsii* T. I. *Veronae* 1734. quaerendae sunt, paginis. *Ad Nepotianum* Presb. *Petis a me* p. 252. *Ad Eustochium* Virg. *Audi Filia* p. 87. *Ad Rusticum* Monach. *Nihil Christiano felicius*. p. 926. *Ad Celantiam* Matron. *Vetus Scripturae sententia*. p. 1089. *Ad Heliodorum* Ep. *Grandes materias*. p. 329. *Idem* (ita in margine) *de honorandis Parentibus*. Initium: *Parentum meritis subiugans filios omnipotens deus servuendi legem in officijs posteris dedit &c.* Non inuenio prolixum hunc locum in *Hieronymo*, nec in *Augustino*, *Ambrosio* aut *Bibl. PP.* *Ad Castoriam* Materteram. *Johannes idem Apostolus*. p. 27. *Ad Vitalem* Presb. *Zenon naucleus*. p. 434. et interposito, quem mox indicabo, *Traſtatu*, *Ad Pammachium et Oceanum*. *Schedulae quas misisti*. p. 518.

II. fol. 59. *Incipit Traſtatu de Corpore christi Editus per M. Stanislaum de Snoyma Sacre theologie professorem*. Initium: *Visum est*

est non esse inutile quod quidam tractatus de non remanentia ipsarum substantiarum panis et vini post consecrationem in sacramento altaris — protendatur &c. In IX. Capita distributus, ut alibi, sed hic subscriptus: Explicit Anno M^o CCCC^o. septimo 2^a feria post Inuocauit hora septima.

III. fol. 95. Sermo M. Jobannis Hufs, habitus, ut in calce legitur, Anno. d. M. CCCC 7^mo. In die Luce In Synodo. Initium: *State succineli lumbos vestros &c. Scribitur ad Ephesios 6. et in officio dominice iam currentis. Cum triplex turba christiani exercitus &c. Extat Opp. omn. edit. 1715. P. II. p. 47. ubi tamen prave dicitur: de Verbis Pauli Rom. XIII. et mox: ad Ephesios. 4. Adtexta est in Cod. Adpendix satirica hujus Sermonis, quae incipit: Circa preparacionem ewangelij de qua dictum est, videtur utile dubitare, Vtrum in ewangelizatione coram clero et communi populo licet caritative cleri maliciam arguere, ypocrisim eius detegere et contra eius manifesta scelera predicare, et videtur quod non. quia primus Angelus malicie lucifer non vult hoc. Igitur non licet ex eo, quod tam magno Angelo et principi tamque scienti prelato in eius volicione non licet homini contrariare &c. Ad calcem: Hec s. (scripsit?) Hufs de Huffsynecz. Non sane in commendationem Causae suae. Fragmentum istud initium est prolixae Tractationis, quae in edit. cit. P. I. p. 185. inscribi-*

tur: Quaestio de arguendo Clero pro Concione.

IV. fol. 107. Tres Articuli Accusationis Job. Huffs apud Sbinconem Archiep. Prag. cum Ejus ad hos Articulos Responsis. Negotium ad an. 1407. pertinet. Ingressus ad Accusationem ita incipit: *Reuerendissime pater. ad instantes preces cleri vestri ciuitatis et dioecesis. Pragen. more pii patris ex officio vestro dignemini consulere eidem, prouidere ne scandala oriantur.* Nuper admodum ob Errores Wicleffisticos Nationem Bobemicam in Curia Romana haereticam audivisse, superuenire nunc non ex radice caritatis, sed ex odiosa malitia scandalosas in Clerum Praedicationes &c. Sequuntur dein Accusationis Capita: I. *quod Magister Johannes hus Predicator capelle sanctorum Innocentium in Bethleem maioris ciuitatis pragen. de anno domini 1407. et illa die (qua?) mens. Julij hora nonarum coram omni multitudine declaraverit Haereticos, qui pro sacris obsequiis a Parochianis pecuniam exigere non desisteret.* II. *quod Idem die et hora antedictis in prefata sua publica predicatione, postquam fidelium orationibus commendasset defunctum Magistrum Petrum Wfferub bonum christianum et fidelem zelatorem fidei, addiderit: opinione mea saluo dei iudicio ego non reciperem totum mundum, quod vellem mori cum tot et tantis beneficiis.* Denique III. *quod Idem, quamuis sit synodali-*

ter omnibus prohibitum predicare excessiue contra clerum de anno presenti die sequenti post festum beati Viti, tamen praedicationibus suis reddiderit clerum magis odiosum populo quam fuerit unquam prius. Triplicem hanc inculpationem ab Archiepiscopo mox cum *Husso* communicatam fuisse, patet e subiecto multiplici *Ejus Responso*, ad quod ita ingreditur: *Quia pater Reuerendissime coram paternitatis vestre gratia tanquam scandalosus erroneus ac sancte matri ecclesie predicator contrarius et sic in fide deuius, sed auxiliante mihi domino sum delatus friuole et mendose, ideo ad confutandam inimicorum accusationem friuolam vestre gratie piissime secundum regulam beati Petri apostoli cupio humiliter de fide mea et spe et mihi coram Paternitate vestra obiectionis reddere rationem.* &c. Itaque ad *Art. I.* sexies, ad *II. ter*, ad *III.* semel respondet. Secluso partium studio, saepe illum in respondendo effugia quaerere, et λογισμαχειν observabis. Ita primo statim responso, Accusatorem fugillat, quod dixerit, eum coram omni multitudine utriusque sexus locutum fuisse: quia nihil coram omni multitudine dixi, cum non omnis multitudo fuit ipso die, quo predicauit in Praga; non enim coram omni mul-

titudine utriusque sexus, que tunc fuit rome, aliquid dixi, nec coram multitudine, que tunc fuit iberusalem. Id, quod profecto dialecticus cavillus est. In fine *Responsorum* subicit se humiliter Archiepiscopi piissime informationi correctioni et protectioni tanquam filium obedientem reuelantem causam suam *Domino Sabaoth* &c. De hoc Syntagmate *Hussi* initia illustrante nihil uspiam me legere memini. Adhaerent varia ab Eo notata de Oeconomia Juris Can. de variis S. Scripturae Sensibus, et multa e Conciliis, Patribusque deprompta contra Clericos, qui pro sacris Ministeriis aliquid recipiunt, denique *Locus* ex *Hildegardis Prophetiis*, quo Ordines Mendicantium notari dicuntur, quique multum variat ab *Exemplo*, quod produxit *Fabricius Bibl. med. Lat. L. VIII. p. 261.*

V. fol. 109. Sermo Anonymi de *S. Maria Magdalena*, cujus initium: *Maria magdalene pertinet ad statum penitentiae. Maria Jacobi ad statum continentiae. Maria salome ad statum iustitiae* &c.

VI. fol. 113. *Materia iocalium.* Ita in calce adpellatur *Poema* varia Vitae officia γνωστικως, inspersis etiam Fabellis, exponens et inculcans. Ejus initium:

*Sub breuitate stili scribo modo puerili.
Quem tu subtili condas sub pectore fili.
Sermo meus doceat te uultus ferre modestos
Et thalamo cordis mores impingat honestos.*

875

CODICES

876

Addam unum alterumve Specimen:

*Si quem barbatum faceret sua barba beatum,
In toto circo non esset sanctior birco. —
Qui cupit inferre digitos in quodque foramen,
Fedos sepe refert. Nec enim decet omne probare. —
Qui tenet anguillam per caudam, non tenet illam. —
Dat Deus omne bonum, sed non per cornua taurum. &c.*

Compilatorem hunc Germanum fuisse, colligas e verfu.

Cum sit fedatum lac, tarde proferimus Kacz!

Librarius vero subscripsit: *Explicit materia bona videlicet materia focalium per manus Symonis et minio: Symone bay slyfs.*

VII. fol. 125. sine inscriptione sed e praevio Codicis indice *M. Job. Hufs Tractatus de Corpore Christi*. Et ita re ipsa extat *Opp. cit. T. I. p. 202.* hoc initio: *Inpugnantibus verba evangelij et ignorantibus circa sacramentum dominici corporis veritatem &c.* In *Cod.* tamen sub finem 16. lineis ulterius procurrit.

VIII. fol. 131. p. 2. Literae Universit. Oxoniensis pro *Job. Wicleffo* datae 1406. 5. Octobr. prout extant *Opp. Huffs cit. T. II. p. 542.* Figmentum ad commendanda *Wicleffi Scripta*. Cum enim negent *Wicleffum* ab *Angliae* Praelatis pro Haeretico condemnatum, vel sola inspecta Conciliorum *Angliae* serie chronologica aperte *Wicleffo* convincuntur; apertius vero ab *Ant. de Wood L. I. Hist. et Antiquit. Univ. Oxon. p. 203.* agente de *Petro Anglico* sive *Payne*, qui cum *Academicis Oxon.* et *Wicliffianis par-*

tibus addictissimus esset, litteras modo dictas cum sociis ementitus, eadem sigillo, quod furtim erat adeptus, universitatis munivit. Vide, si lubet, totum illius locum, et defecatus in *Opp. Huffs* Editoribus judicium desiderabis.

CCLII. VIII. F. 19

Codex membraneus lat. Sec. 475 XII. Folior. 181. 4. luculente scriptus et rubricis enotatus continet Sequentia: I. *Incipit Prologus Eusebii Hieronimi. Cum verbis Joviniani et Contradictionibus ipstus.* Libri II. sunt Doctoris nostri contra *Jovinianum*, qui extant Edit. *Vallars. T. II. Veronae. 1735. p. 237. f.* Utrique Libro in *Cod.* nostro praemissae sunt *Capitulationes XXXIX.* et *XXXI.* Initium Lib. I. *Pauci admodum dies sunt, quo Sancti ex urbe fratres &c.* N. 3. Editor. post verba: *ut virginitati detrahat,* subjungit *Codex: qui male abstineat ex omnibus, quae benedixit deus, quam περιουρη nec Mauriani, nec Vallarsus in suis Mss.*

in-